

235
Z l
5457

ΘΕΣ ΕΥΧΑΡΙΣΤΟΣ

Γ Α Μ Η Λ Ι Α

VIRI HUMANITATIS, PIETATIS, ET
ERUDITIONIS LAUDE PRÆSTANTISSIMI

DN. M. CHRISTIANI
SIGELII EIBENSTOCHIANI,

Scholæ Witzlebicæ, quæ est Ro-
sælebii, ConRectoris, Sponsi,

& X 212 5429

Pudiciss. Lectiss. Virginis

C L A R Æ,

Reverendi, & Doctissimi Viri,

Dn. GEORGII LIPACHII

Pastoris & Senioris in BEBRA

S P O N S Æ,

N U P T I I S

Ad 15. Julii, Anni clō lō cxvii. Bebræ Christia-

no more celebratis, à Fautoribus, amicis, &

discipulis, Ἐπιμύσας ergò nun-

cupata.

1978 F E N Æ P 132

TPIS JOHANNIS VVEIDNERI.





Ethereas voluit socia sine

conjugē turbas

Rex superæ vitæ degere ritè domus

Lascivas hominum mentes sed lege

refrenans

Sancivit socii vincla marita tori.

Ne sit libertas brutorum more vagari,

Nec malus impuro crimine regnet amor.

Legitimæ gignant homines sed semina gentis,

Grata futura polo, grata futura solo.

Sponse tui leges Domini colis, & memor ortus,

Tu reparas tædas, Vinclaque sacra subis.

En venit in thalamum tibi Sponsa pudica pudicum,

Amplexusque tuos CLARA petita petit.

Ergò precor vobis, ut cuncta salubria cedant,

Et nullus turbet gaudia vestra dolor.

M. Johannes Wilisch Pastor, & Superintendens Eckartii montanus.



Νυμφίε αἰδοίην Φιλίη πρὸς πύζον ἀκοίλιν,

Ἰκεται ἢ θεόθεν σοι χαρίεσσα, τέην.

Ἐσθλογενῆς δίδοται κόουρη καθαρή βίοτόν σοι,

Ἡθεα ἢ καθαρή, ἢ καθαρή τε νόον.

Ἡδέ συ ὦ νύμφη πύλῳ φημον ἔοντες γενέθλη

ἀνέρα ἔρανόθεν τῆ θαλάμοιο λάχες.

1860



Τῆσιν ἀμοιβαίῳ γλυκερῷ Φαίδρυνε ἔρωτι
 Ἡδυεπὴς πόσιος θέλγε λόγοιζε Φρένας.
 Οὕτως Ἰτυχίην δώσει θεός, ἥπια τέκνα,
 Ἀγκία δῶρα βίη, ἠδὲ ὁμοφροσύνην.

M. Augustinus Lippachius Numburgi ad
 D. Wencesl. Diaconus. Sponse Frater.

~~~~~  
 Si qua fides dicto: fato junguntur amantes;  
 Connubium fato statq; caditq; sacrum.  
 Si qua fides dicto, quod habet veneranda vetustas;  
 Conveniunt rebus nomina saepe suis.  
 Ecce fides dicto! Fato CHRISTIANUS ad ades  
 Uxorem ducit stemmate pro genitam,  
 CLARAM de claro. signatur rivus Amoris:  
 Ardet Lippachidos nunc in amore Sigel.  
 Imprimitur cerae signum; quin foedera firmat,  
 Non signata suo scripta valore carent.  
 Littera sed noto quae confirmata sigillo,  
 Est grata, & certâ non caret illa fide.  
 Quin quae grata DEO, nobis quae grata, videntur  
 Ritu obfirmari, quae preciosa, sacro.  
 Christicolum gens grata DEO; datur ergo favoris  
 Signum caelestis, Spiritus ille DEI.  
 Haec Neonymphe tibi privam dicuntur ad aurem;  
 Sponsus cum Sponsâ nomen, & omen habet.  
 Ingratum munus! multo praeponderat auro  
 Hortus conclusus Sponsa venusta nimis.  
 Imprimito signum, casti testamen amoris,  
 Effluat ut Clarus Rivus amore Tibi.  
 Approbat hoc Christus, cui vincla jugalia cura,  
 Is Rivi occlusi cum reserabit opes,

*Cernere erit fructus numerosâ prole beatos;  
Hac Tibi erunt casti certa sigilla tori.  
Connubialis Amor signis his crescere gaudet,  
Adsit Pax saltem, & digna polo Pietas;  
Testor utrumq; caput, non vita beator ulla est:  
Felix cui tali vivere sorte datur!  
Ergò Sponse tuum consignet mutuus ardor  
Ardoris Rivum: Nominis esto memor.  
Et tu Sponsa premi gratum patiare sigillum  
Cordi, non cera: Nominis esto memor.  
Spiritus alme DEI, qui diceris Arrha salutis;  
Has signa mentes, pace, favore Tuo.  
Vivant concordēs; multus labatur Amoris  
Rivus, sint placidi multa sigilla tori!*

*scribebat ευνοίας εὐχας*

M. Christophorus Dauderstadius p. r.  
Ecclesiæ Salecensis Pastor.



**E**Rgò metalliferis te montibus abdere pergis?  
Inque Thuringiacis quærere CLARA jugis?  
Scilicet auriferis præfers hæc dona metallis,  
Quam præclara venit, si qua pudica venit.  
Quod DEUS instituit, ne segreget illud iniquus,  
Fata, peregrinis, mollia sæpè, locis.  
Fata viam inveniunt, fatis junguntur amantes,  
Fata viam invenient, ad meliora, prece.  
Dicamus bona verba: DEUS regit astra, feruntur  
Illius arbitrio, singula clara, bono.  
CLARA tibi placeat, pietatis dotibus aucta,  
CLARA sit exhilarans, officiosa sacra.

Cla-

Clareat, & pulchrâ faciat te prole parentem,  
 Clareat, ac æquet sydera clara poli.  
 Qualiter in riguis, perdulcis Amaracus, hortis,  
 Taliter in thalamo floreat illa tuo.  
 Clareat, & claro clarum te nomine, reddat,  
 Nestoris, ut superes prosperitate, dies.  
 Hæc tibi, quem sacra, retuli ex Baptismatis unda,  
 Opto: DEUS votis annuat ipse piis.

*Christianus Mann Mariab. Ecclesia Eyben.  
 oppidi Stanniferi Pastor.*



**M**AXIMA SPONSE, refer, charos pars inter amicos,  
 Quos mihi non fallax junxit in orbe fides:  
 Quid tibi mentis erat, quando tua pectora primùm  
 Mollia sensisti virginis igne rapi?  
 Ergò non poteras blandum superare calorem?  
 Spernere nec socij vincula firma tori?  
 Sed placet, arridens oculis castissima virgo,  
 CLARA, puellaris pulcra corona gregis?  
 Fixa q̄, stat jam nunc certa sententia menti,  
 Sacrum legitimi fœdus inire tori?  
 Hoc si ROSLEBIUM quis prædixisset eunti,  
 Huc qui jam migras Doctor, amator eris,  
 Fiet id (haud dubito) retulisses, turbidus Vnster  
 In fontis versus quando recurret aquas.  
 In caput euge tuum mox retrò labere Onester:  
 Nam non sperato Sponsus amore calet.  
 Jamq̄, diem portat felici sidere Phœbus,  
 Qua duo legitimus corpora jungit Hymen.  
 Usq̄, adeo ignorant nostræ connubia mentes,  
 Qua DEUS explacito datq̄, negatq̄, suo.

A 3

Muta.

*Mutatam mentem tibi gaudeo; & omine fausto*

*Hoc opus incipias, perficiasq; precor.*

*Det DEUS, ut longos vivas feliciter annos,*

*Cum CLARA, chara Virgine, Sponse: VALE.*

*Petrus Zinckeisen Schnebergensis, Eccle-  
sia Christi in Rosleben Pastor.*



**C**Lara dies Pauli bona tempora denotat anni,  
Clara dies CLARÆ quæ bona signa feret?  
Si fueris solus, Conjux fidissima soli  
Præstò atque alloquio dulce levamen erit.  
Si fueris æger, Conjux dulcissima, fiet  
Fomentum, in dubiis & medicina malis.  
Si fuerint nebulae crucis, aut si prælia fortis  
Afflictæ hæc fiet tum Cynosura rati.  
Si vesper veniet, designat prælia lecti,  
Si Sol exoritur basia mille feret.  
Si decimus fuerit Mensis, felicibus astris  
Audiet hæc nomen Matris, & ipse Patris.  
Coetera distribuet bona tempora temporis Autor,  
Pax regat ut thalamum prosperitasque tuum.  
Comprecor, utque tibi felicia secula currant  
Clara Dies CLARÆ tempora, Sponse, ferat.

*Sigismundus Leupersdorff Döbelens.  
Allerstad. Pastor.*



**J**ovaparens rerum, Sponsorum Fautor, & Autor,  
Accersite tuo præses adesto toro.

*Affini benedic Sponso, Sponseq; sorori  
Fœdera conjugij qui modò ritè colunt.*

*Da, precor, eveniant, & sint felicia capta  
Numinis auspicio sunt quia capta tuo.*

*Illis*

*Illis tu tribuas successus, queso, benignos,  
 Illos fortune nulla ruina premat.  
 Fac sit amor verus, sincerus, & una voluntas,  
 Sitq; unum ambobus pectus, & una fides.  
 Hæc, & plura tuo bona des è divite cornu,  
 Et des filiolos, filiolasq; DEUS.*

Georgius Lipach Junior Pastor Bucha-  
 viensis, Sponsæ Frater.



**E**Sse quid hoc dicam? tantos quisnam excitat ausus?  
 Sic tibi vis Sponsas jungere, Sponse, duas?  
 En capit amplexu modò te nova nupta jugali,  
 En tenet amplexu te Schola Witzlebica.  
 Hinc tibi diffidium: hæc, meus est; meus, altera, Spon  
 Hæc, me Spõsus amat; me simul, illa refert. (sus;  
 Quin mox te cernes lassum, lapsumque labore  
 Hoc nimio, ah nimio sic Rosa sole cadit.  
 Dic ergò, hic quid Amor? clamor, tædæq; quid istæ?  
 Tædia. Conjugium hoc? nil nisi triste jugum.  
 Sic Livor. Sic Sponsus ait: tua verba, proterve,  
 Trado Notis, majus dum mihi Numen adest.  
 Phoebus in amplexus gaudens me ducere caros  
 Ipse, Scholæ inq; chorum, hic esto maritus, ait.  
 At Venus hoc ridet, meq; ad tua colla, tuumque  
 Nectens, CLARA, torum; hic esto maritus, ait.  
 Ergò Deum nutu nec onus, sed honos in amore  
 Hoc gemino, nec lis, vis, sed amoris erit.  
 Maeste animo hoc, Sponse: en Sponsæ traduntur ama  
 Hem tibi, nunc vires exere ritè tuas. (tæ,  
 Scilicet ut soboles gemino hoc nascatur amore,  
 Quæ dicat Phæbo, quæ tibi grata, Venus.

*Zacharias Tbyle Diaconus in Rosleben.*



**S**iccine Palladium decus ô, Sophiaq; Magister  
 Sionie, & Claria splendida stella Dea,  
 Siccine Pontificis violas pia jura, jugalis  
 Dum celebrare cupis fœdera casta tori?  
**N**ec metuis Bannum, Latij nec Principis enses,  
 Nec tua succense membra cremanda pyra?  
 Tunè sequi mavis sacra Christi dogmata verbi;  
 Quam qua Pontificis rasa Numella jubet.  
**D**icite Savite, quæ stet sententia menti,  
 Cum Peccata DEUS, non Hymeneæ vetet?  
 Is jubet in socias dare pronuba peçlora flammæ,  
 Et casto licitas corde fovere faces.  
**H**inc quia Conjugio nihil est divinius unquam,  
 Et nihil in terris dulcius esse potest.  
**N**emo hoc vituperat, nisi sit scortator avarus,  
 Aut quem præcipitem Demonis æstus agit.  
**E** terrâ si quis connubia tollere tentat,  
 Tollit honestatem, tollit & omne pium.  
**E**rgò nihil peccas Sponse; heus sacra jussa JEHOUÆ  
 Exequeris, fœdus dum sociale subis.  
**O**rdinis ex hujus DEUS est assertor, & autor,  
 Deq; pijs vasis stemmata longa beat.  
**V**erùm furtivam Venerem, flammæq; furentes,  
 Concubitusq; vagos vindicat ipse DEUS.  
**Q**uare opus augustum est, decus est, & dia voluptas,  
 Conjugis in gremio posse manere suæ.  
**H**inc & honoratus thalamus tibi semper habetur,  
 Non datur Impuris cernere posse DEUM.  
**A**t pariter cura, dicunt, cum ducitur Uxor,  
 Ad sunt, est onus & dulcis amaror amor.  
**Q**uod monet Uxoris medium qua litera vocis  
 Obtinet, & dotem Conjugis esse CRUCEM.

Sed



Sed non uxorem ducis, tibi virgo locatur,  
 Virginis in voce Xlitera nulla manet.  
 Est CLARA, & SARA (non Xantippe Socratis atrox  
 Alecto) intactis emula Virgo rosis,  
 Progenies & planta boni plenissima succi;  
 Nata bono proavum sanguine, nata patrum;  
 Quam decorat Pietas, decorat Natura, bonique  
 Mores, quam decorat candor & ingenium.  
 In facie rubor est, pudor ore, modestia vultu,  
 Corde fides habitat, mente serenus Amor.  
 Instar apes curare domum bene docta, laboris,  
 Solis & urentis frigoris est patiens.  
 Ludere novit acu dextra, scit fila sinistra  
 Ducere, id artificem est vincere Penelopen.  
 Hac tibi tristitias adimetque Xcemque fugabit,  
 Inque tuum fundet gaudia mille sinum.  
 Millibus est multis talis non virgo locatur  
 In thalamum, qualem jam tibi JOVA locat.  
 Nam pietas, & gnara manus, amor atque serenus,  
 Si qua proba dos est Virginis ista sat est.  
 Maeste igitur virtute nova, nove Sponse, Mariti  
 Emula, qui modo eras Cultor Hamadryadum.  
 Accipe nunc CLARAM, rege, duc, cole, pasce, sed arte,  
 Et ratione bona, mente & amore pari.  
 Sicque sub amplexus veniat tibi CLARA rogatos,  
 Sic erit in thalamo dulce mel atque merum.  
 Verum messis adest dudum exoptata, decentem  
 Messoris falcem nun petit alma CERES.  
 Esto bonus Messor, Spicas bene collige, aristis  
 Distenta plenum CLARIDIS borreolum.  
 Sic bonus Oeconomus, vigil, assiduusque Colonus  
 Fausto progressu temporis Ipsus eris.

B

Sponsa



Sponsa sed ipsa, brevi Virgo, æconomissa vocetur,  
Adjutrix socia, & firma columna domus.  
Non tamen idcirco exoptet POLYARCHA vocari,  
Nec cupiat sceptrum ferre superba viri.  
Nam vecors aliàs, nimiumq; videbitur audax  
Fœmina dum duplex jus temulenta petit.  
Luna regit lumen nocturnum, Solq; diurnum,  
Haud illis plures Sphæra polaris amat.  
Sicq; Marite tibi sint sceptrâ virilia, non sint  
CALÆ, Caseolos sed premat ipsa bonos.  
Nec dubium, quin CLARA sui nova facta Marita  
Sit memor officij, sit studiosa tui.  
Sola barere tuo cupiens, velut arbore vitis,  
Complexu, & molli bella ciere sinu.  
Oscula concertent casta pro more columba,  
Ut melius casti cedat amoris opus.  
Oscula complexu gaudent, Pax gaudet utroq;  
Pace amor exultat, pace, & amore torus.  
Vivite sic concorditer, & feliciter ambo,  
Prole replete torum, prole replete polum.  
Vota hac sufficient. DEUS, & Lucina secudent,  
Conjugium hoc, Juno prole, favore DEUS.

Doctis. Dn. Collegæ Sponso, & amico  
exoptatissimo facieb.

Augustinus Basilius Cæsar.




**M**irabar Claræ quare tua nomen haberet  
Sponsa, DEO quâ jam tibi concedente, Magister,  
Connubio junges stabili, propriamque dicabis.  
Nomini inest omen: nomen virtutibus æquat.  
CLARA patre est claro, clarâ prognata parente,  
Clara tenens sacræ purissima semina mentis,

Clara

Clara sacri clarâ est, & relligione tonantis.  
 Virtute hæc Clara est, Clara, & studiosa laboris.  
 Moribus inque piis cura est educta Parentum,  
 Et lanas didicit mollire, & vertere fusos.  
 Clara est Virginei decus immortale pudoris  
 Formosoque nitens Clarus decor emicat ore,  
 Hanc igitur CLARAM Sponsam nunc, Clare Magister  
 Accipe, & hæc tibi sit munus prædulce laboris.  
 Quandoquidē tua mens voluit conscendere culmen  
 Castalidum, famæque sibi petere inde coronam,  
 Unde aliis profis, montesque per ardua gressum,  
 Virtutisque viam, qua se tandem quoque possint  
 Tollere humo, donec teneant virtutis in arce  
 Edita doctrinæ sapientum templa per artes.  
 Hinc decet ut thalamo sacro sacra fata precemur  
 Vota cadunt: Vos jungat amor; Concordia vinclo  
 Copulet, inque toro surgant felicia fata,  
 Absint hinc Furix, tristes & Erynnies absint,  
 Absit Eris, sit dulcis Eros, sint pignora amoris.  
 Vos Pax unanimes alat, ut mens una duorum  
 Cum Pictate omnes fraudes disturbet Averni.

*Abatius Hagerus Schinbacens. Schol.  
 Wurzlebicae Alumnus.*



**D**um sociale paras sacrum, Venerande Sigeli,  
 Et celebras casti gaudia festatori.  
 Me meus hortatur Genius, mibi velliat aurem,  
 Justaque pro thalamo vota vovere monet.  
 Talia namque refert: Nunc mater Memnonis alma,  
 Optatum roseo provocat ore diem:  
 Quo juveni egregio formâ pulcherrima Virgo  
 Connubio stabili jungitur, atque datur.

B 2

Ergo



Ergò favens adsit tua lingua, adhibere sacratis  
 Pierios tedis, fasq̄, piūmq̄, modos.  
 Sponsus is est etenim, qui te jam ducit ad artes,  
 Qui fert Witzlebica commoda multa schola.  
 Hunc decorat Virtus insignis, multaq̄ rerum  
 Notitia illustrem, cognitioq̄, facit.  
 Nam fuit addictus Musis in flore juventa,  
 Atq̄ frequentavit pulpita docta Schola.  
 Doctorum gnāvus legit monumenta virorum,  
 Cum primis coluit verba sacrata DEI.  
 Crevit sic etas, sic & sapientia crevit,  
 Inde Magisterij jam dataserta gerit.  
 Hinc quam te memorem, quantis ò dotibus auctam  
 Sponsa? ò quam pulchrum nominis omen babes?  
 Nomine tu siquidem praestanti CLARA vocaris;  
 Hocce animi dotes, corporis bocce notat.  
 CLARA suum claris nomen virtutibus aequat,  
 CLARA est virginei gloria magna chori.  
 Aspice duntaxat, qua sit reverentia cordis,  
 Qua simplex probitas, qui pudor, atq̄, fides.  
 Quis non virtutes has fulvo praeferat auro,  
 Et quod praeterea volvit arena Tagi?  
 Quapropter Claro Sponso cum Clara jugetur  
 Sponsa, age tu Sponsis fausta precare novis.  
 Sic Genius. Genii mibi jussa capeffere fas est,  
 Magna ego non magno carmine vota feram.  
 Gratulor ergò tuis, SPONSE ò castissime, tedis  
 Gratulor ergò etiam, Sponsa pudica, tibi.  
 Sponsus cum Sponsa feliciter exigat annos  
 Et multæ sobolis fiat uterq̄, parens.  
 Non socium turbent lites, & jurgia lectum,  
 Utq̄ sit irrupti copula firmatori.

COB.

341.  
Conjugij, qui vos conjunxit, Fautor, & autor,  
Exhilaret vestram, multiplicetq; domum.

Christophorus Tilemanni Leubingens.

CLara quidem est genere, & Clara est virtutis ho-  
Et Claram faciunt forma, decensq; decor (nore,  
Clarior at Clara est, quia firmat foedera lecti,  
Atque hanc Conjugii lege Magister habet.  
Fac Deus, ut tandem fiat clarissima, quando  
Multiplicet dulci prole, quod opto, domum.

Johannes Schütz Rochlicensis.

JAm venit illa dies studijs excolte Magister,  
Quâ datur in thalamum, Clara petita tuum.  
Hac facie prestans cunctis virtutibus aucta,  
Clara pudore simul, clara decore simul.  
Tu quia Sponse, pias artes sectatus ab annis,  
Atq; frequentasti pulpita docta schola.  
Tu quoniam celebras Christum pietatis honore,  
Illius atq; sacrum spargere dogma studes.  
En DEUS omnipotens, hoc nunc te munere donat,  
Sic ergò munus dulce laboris habes.  
Ergò cinge caput fertis, te junge marita,  
Nec tacito cobibe gaudia clausa sinu.  
Sit felix thalamus, concordēs vivite semper,  
Hoc precor ex animo, sit procul omne malum!  
Ut gravida semper succrescit palmes oliva,  
Sic soboles crescat vestra, volente DEO.

Aaron Lind Altenburgensis.

TAndem Sponse, tuâ pertentant gaudia mentem,  
Tandem erit in plausu tota terenda dies.

B 3

Scili-

Scilicet illa dies, qua lecti fœdera sancis,  
Legitimi, & carpis gaudia prima tori.  
Qua promissa tibi, fatisque addicta secundis,  
Conscendit thalamum, Clara perita tuum.  
Quæ clara est forma, clara est virtutis honore,  
Et Claram pietas quam facit atque Fides.  
Hac meritò gaudes Sponsa, Doctissime Sponse,  
Unde tibi, ut cumulet gaudia tanta, precor.  
Et precor, ut vivat tecum concorditer, utque  
Filiolos pariat, filiolasque tibi.  
Utque in conjugio pertexat stamina vitæ  
Commoda prosperitas, prospera commoditas.

*Christianus Heidenreich Weissenfeldensis.*



**E**ia age, Clara, meum ræi amabile, amabile mulsam,  
Inter delicias semper habenda meas.

Te conjunge mihi, quia sic jubet alma Voluntas  
Numinis, & castus te mihi jungit Amor.

Lux hodierna mea est! hinc, Clara, exporrige frontem,  
Eia age pelle metum, Lux hodierna mea est!

Lux hodierna mea est! lux hac hymeneia festa,  
Instituit mihi, ipse jam mea Clara venit.

Nos pietas sincera ligat, Concordia firmat,  
Castus amor sociat, vita, salusque beat.

Unus utrisque animus sit, mens sit & una, cor unum,  
Una fides, unum fœdus, & unus amor.

Sic benè, sic longum ducemus molliter ædum,  
Annuit his votis, en, DEUS, ipse pius.

*Johannes Thurschius Vinaricensis.*



**C**onjugium res sacra DEI est, res illa probatur,  
Qui terram jussit prole replere, DEO.

Ergo

Ergo quod statuit superum sapientia, & auget,  
 Et quod servat opus, quis neget esse bonum.  
 Et quod vitæ aufert incommoda, commoda mille  
 Conciliat vitæ, quis neget esse bonum.  
 Et quisnam id reprobat, quicquid DEUS asserit ipse,  
 Quodq; bonum hic statuit, quis velit esse malum.  
 Hic nimium felix nimium, o *Christiane*, beatus,  
 Qui liciti sequeris jura verenda tori.  
 Unde tibi merito, ConRector, gratulor unde  
 Gutturum nunc grato clausa resolvo sono.  
 Gaude sorte tua, Doctissime Sponse, pudicos  
 Ibit in amplexus Virgo pudica, tuos.  
 Hæc tibi erit fulcrum, spes, præsidiumque *Sigeli*,  
 Dimidium mentis, dimidiumque animi.  
 Illa tua hæc, sociam tibi quam BONUS esse cupivit  
 Ipse DEUS, *Clare* nomen, & omen habet.  
 Tu quoque Sponsa, tuam gaudeto sorte, tuumque  
 Dilige præclarum corde favente virum.  
 Dotibus ingenii præstat, famamque reportat  
 Egregiam; doctam nomen ab arte gerit.  
 Ille tuus, tibi quem voluerunt esse maritum  
 Numina, Christiani nomen & omen habet.  
 Christi etenim præco, Domino mandante futurus  
 Est, & plantabit cum pietate fidem.  
 Vivite concordēs, fœcundi, vivite casti:  
 Vivite Sponse diu, Sponsa valeto diu.

*Georgius Batz Rudelstadenfis.*

**E**X voto tandem dulcis tibi ducitur Uxor,  
 Ex voto thalami ridet honore dies.  
 O Sponse in thalami felicia signa jugalis  
 Sponder, qui sanxit fœdera casta DEUS.  
 Perge igitur Sponsam Præceptor ducere ad aram,  
 Vos vinclo ut forticopulet unus amor. *Vin.*



*Vinclum hoc dissolvat nemo, nec tristis Erynnis  
Disturbet vestrum lite malove torum.*

Georgius Albertus Buchner à Weithausen.

**D**um læto celebras hymeneia gaudia plausu,  
Et venit in thalamum Virgo pudica tuum.  
Ipse ego, Præceptor studiis exculte, rogabo  
Supplicibus votis, qui regit omne, DEUM.  
Ut tuus ex omni sit semper parte beatus,  
Et careat rixis, invidiaque torus.  
Omnia quæ vitæ præsentis postulat usus  
Sufficiant! desit copia nulla piis:  
Vivatis longos grandævi Nestoris annos:  
Et vitæ saturos auferat una dies.

*Philippus Schröter Wittebergensis.*

**F**elix ille animi totoque ex æsse beatus,  
Qui sobolem vitæ dulce levamen habet.  
Quod tibi contigerit laus hæc, Venerande Georgi  
Grator: at ipse DEO debita vota dabis.  
Fulgida doctrinis, aræque ministra, propago  
Mascula, præclarum, fert, tibi amice, decus.  
Natarum adde statum, tacito tum pectore gaudes  
Sortitas mystas quaslibet esse sacros.  
Jam tibi lætitiæ, Patri, nova Sponsa, ciebit,  
Præcipuo nubens, filia CLARA, Viro  
Hunc Arpinati dicendi æquaret honore,  
Addita Romano lingua Pelasga, sono.  
Sic tibi, docte senex, senis mihi cognite lustris,  
Tela eadem vitam continuasse velit.  
Millenis series ramis annosa nepotum,  
Pullulet in laudes officiosa DEI.

*Rastenburgicus Past. M. Philip. Nilostadius.*

F I N I S.

*Jon. Ze 54 57.*

*Wort*

*Q X*





1707  
 Γ A  
 VIRI HUMANI  
 ERUDITIONIS  
 Dn. M. C  
 SIGELII EIB  
 Scholæ Wit  
 sælebii, Co  
 Pudicij  
 C L  
 Reverend  
 Dn. GEOR  
 Pastoris & S  
 S  
 Nu  
 Ad 15. Julii, Anni  
 no more celebrat  
 discipulis,  
 1778 3  
 TTPIS JOH



235  
 e  
 5457

